



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

A Conscientiâ dependet gaudium quod ex humanâ laude, & tristitiâ quae
ex vituperio percipitur. Timor incurrendae infamiae si crimen prodatur,
occultorum scelerum est tormentum. Hinc mali sibi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

NONVM OFFICIUM CONSCIENTIÆ.

Animum contra externa hominum iudicia & dicta armare; & securum reddere, sic vt nihil ab hominibus timeat.

TRACTATUS XVIII.
DE SECVRITATE QVAM IN HVMANO
COMMERCIO PRÆSTAT CONSCIENTIA.

Gloria nostra hæc est testimonium Conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo. 2. *Ad Corinth. 1. v. 12.*

A Conscientiâ dependet gaudium quod ex humanâ laude, & tristitia quæ ex vituperio percipitur. Timor incurrendæ infamiae si scelus prodatur, occultorum scelerum est tormentum. Hinc mali sibi conscius, semper trepidus, atque omnia habet suspecta, timens ne prodatur. Contra verò, bona Conscientia, non timet videri, imò gaudet; & peruersa de se iudicia ridet intrepidè.

P R O O E M I V M.



I à solo homine, ejusque tantùm aut angoribus, aut suspicionibus, dependeret mentis tranquillitas; ea sanè, prout jam vidimus, non deesset illi, cui Conscientia securitatem omnem præstitit, dum sese vadem opposuit rem intus agi benè; id est ex suâ sententiâ, quæ quidem

dem est Dei. Verùm cùm & hominum passim nos circumstantium, & pro libitu quæuis vituperantium aut etiam laudantium iudicijs simus expositi; vnde etiam fit, vt non modicè perturbemur: videndum est porrò, quâ ratione Conscientiâ foras prodeat clientem suum propugnatura, & domesticam pacem contra obrectatorum clamores non segniter assertura. Ostendam itaque, non aliam æquè securam esse in humano commercio quietem, quàm quæ à Conscientiâ bonâ præstatur: contra verò, etiam ex humanæ Philosophiæ placitis, non esse vitam magis tetricam & detestandam, quàm quæ cum malè sibi consciâ mente trahitur. Vnde id liquidò videbitur, Conscientiæ munus esse, improbum animum medias inter hominum laudes torquere, eique omnem famæ bonæ, sed injustæ, delectationem inficere & detrahere: probum verò injustis calumnijs impetitur, ab omni infamiæ metu liberare. Ex naturâ petitis argumentis, demonstrabuntur omnia; vt tandem appareat, quanti ab homine facienda sit Conscientia, etiamsi ei ignotum foret, aut quid sit Deus, aut quid sit, vicarias Dei partes à Conscientiâ sustineri.

§. I.

Iudicia sibi aduersa non metuit, qui suâ innocens est Conscientiâ. Hæc enim omnis tristitia quæ ex vituperio, & gaudij quod ex humanâ laude percipitur, basis est & fundamentum.

I. **C**ommune & peruulgatum est adagium, nullius domum quietè frui diutiùs, quàm in vicinis ædibus habitanti, sit collibitum: nam quantumcumque quis pacatè agat inter suos, modestè vitam tranfigat, honestumque silentium obseruet domi; si tamen vnus aliquis in viciniâ vociferetur, aut clamet, aut alio quouis modo strepitem cieat; perstreptent illicò clamoribus ædes, cæteroquin pacatissimæ, tremant vitra, concutientur tabulata, neque quies dabitur homini, etiam modestissimo, non otium placidum, non somnus tranquillus. Hinc fit, admodùm non esse consultum, ædes incolere fabrorum officinis intermixtas, siue ferra-

*Nemo diu
tius quiete
fruitur,
quam col-
libitum sit
vicino.*